

THEORIA PHYSICA

Dicitur

# SENSIBILIBUS RERUM NATURALIUM PRINCIPIIS.

Quam

*Adjuvante Deo omnium Principio.*

PRÆSIDE,

Nobilio, Clarissimo & Excellentissimo Viro

DN. JOHANNE GEILFUSIO, ORGANI  
ARISTOTELICI ET PHILOSOPHIAE NATURALIS, IN-  
clyta Tubingensis Academjæ, Professore Celeberrimo, Phi-  
losophicae Facultatis Decano spectatissimo, Preceptor & Fa-  
tore suo plurimum hono-  
rando.

EXERCITII GRATIA TVERNDAM SVSCIPIT.

Ad diem 25. Maji horis locoq; consuetis.

CHRISTOPHORUS MACCIUS,  
Aschbergensis.

TUBINGA.

Typis PILIBERTI BRUNNI.

ANNO M. DC. XLII.

V I R I S

Magnificis, Nobilibus & Amplissimis,

Dn. JACOBO Jung /

Dn. DAVIDI Engler /

Dn. JOHANNI Koch /

Dn. EITEL SIGISMUND Lauten /

Reip. Civitatis Imperialis Memminge, Inclita, Consulibus Meritissimis, Scholarchi Dignissimis.

Senatori ibidem Prudentissimo & à Secretioribus Consiliis.

=

U T E T

Rev. admodum & Clarissimo,

Dn. MICHAELI LAMINIT, Ecclesiae Evangelicæ ibid, Pastor & Antecessori Dignissimo, Visitatori Scholæ dexterimo.

N E C N O N

Nobilibus, Consultissimis & Experientissimis Viris

Dn. JOHAN-JACOBO JENISCHIO, U. J. Doctori Celeberrimo, ejusdem Reip. Syndico Meritissimo.

Dn. JACOBO Eckold / Medicinæ Doctori, Physico ibidem Clarissimo, Scholæ Visitatori dexterimo.

T U M Q U O Q;

Spectatissimo, prudentiâ variarumq; rerum usu Conspicuo

Dn. CHRISTIANO Seyfried / dictæ Civitatis Senatori prudentissimo.

Dnn. Patronis, Mecenatibus & Fautoribus suis aeterno honoru', amoris & obedientia cultu devote prosequendis, calendis.

In debitæ submissionis, observantiae & gratitudinis tesseram, hanc theoriam Physicam.

Offert, dedicas

A. & B.





## QUESTION I.

*An Elementa sint rerum Naturalium Principia?*

**M**UR res in hoc inferiori mundo, Ortus & Inte-  
ritus perpetuas habeant vicissitudines, & dum unum  
corrumpitur, aliud inde generatur, idcirco de Principiis,  
ex quibus sit Generatio, in Philosophia Naturali queritur. Et com-  
muniter quidem Materia & Forma producuntur, quæ composi-  
tionis quoque sunt Princilia, sed nimis remota, seu intelligibilis.  
quæq; rebus inesse solo cognoscimus intellectu. Corpora vero mi-  
xta realiter & sensibiliiter existentem cum habeant essentiam, præ-  
ter ista, Princilia sensibilia requirunt. Elementa hæc in Scholis  
Physicorum vocantur, quæ prima ideo etiam dicuntur principia nim.  
sensibilia. Amotâ a. ambiguitate vocabuli Elementum hinc nobis  
dicitur corpus simplex, in quod cœtera corpora dividuntur, in  
quibus potestate vel actu inest, ipsum autem in specie diversa non  
potest dividi. 3. de cal. c. 3. Comprehendit sub se Ignem, Aërem, A-  
quam, Terram. Hæc, non tantum domicilia & matrices corpo-  
rum esse, aut nullas omnino vires & facultates in rebus naturalibus  
habere, imò corpora planè mortua esse, quod nonnulli satis in-  
consideratè asserunt, ex ipsa corporum mixtorum compositione e-  
videns est. De Terra desumptus est homo: Omnia ferè mixta sunt  
in Terra, tanquam in proprio suo loco: mixta corpora agent quadam  
duritie & crassitie, quæ est in Terra: Terra sine Aqua non  
potest coherere, hæc enim Terræ crassitiem & siccitatem tempe-  
rat, eamq; quasi glutine compingit, quæ etiam ablatâ, statim in pul-  
verem redigitur Terra. Quare mixtis Terram & Aquam inesse  
clarum est. Verum hæc sola ad constitutionem corporum non suf-  
ficiunt, sed necesse est adhuc duo concurrere, generatio enim est  
ex contrariis: Præter Terram igitur Aér, & præter Aquam Ignis,  
ut pote contraria aderunt. Aér quidem, ut Terræ Gravitatem &  
Siccitatem temperet, Ignis verò ut nimia Aquæ resistat Frigiditati;  
quæ duo Elementa si abessent, corpora essent puræ gravitatis, nul-  
lius levitatis, puræ frigiditatis, nullius caloris. In resolutione quo-

Sunt quidem etiam  
nihil nisi materia  
in sensu, sed non  
poterint palpari.

Si autem quidam  
qua sit in corpore  
potest, quæc  
hanc esse, ut sit  
re per se mixta  
in terrâ quidem  
et formata, sed ta-

que corporum hæc quatuor manifestè apparent ; non enim , dum resolvuntur corpora, statim in nihilum, sed in Elementa, ex quibus orta sunt abeunt ; uti videre est in resolutione carnis, lapidum, ligni & aliorum , ubi quod Terreum , in terram, quod Aëreum in Aërem , & sic de ceteris, resolvitur. Sed obijciat quis, qui fieri possit, ut Elementa sint in mixtis, cum nihil eorum in corpore apparereat ? Respond . quamvis nihil hæc sit, quod vel Terreum vel Aqueum appaſeat, non tamen inde sequitur Elementa non adesse. Transmutantur enim hæc in varias formas, & tamen manent Elementa, non aliter ac aurum suam naturam retinet , sive in aquis fortibus, sive in forma pulveris atri, flavi, citrini, appareat. Inferimus igitur, Elementa non tantum receptacula & domicilia, sed vera rerum mixtilium Principia materiata existere.

## QUÆSTIO II.

*An præter Elementa sint alia quoq; rerum generabilium  
Principia?*

**E**lementa suas habere vires in mixtis corporibus ostendimus. Nunc queritur, an cuncta his tribuenda, seu, an omnia Naturæ opera ab hisce solis, & ab eorum qualitatibus petenda sint? Quod autem solis non sit acquiesendum Elementis , ipse Aristoteles 2. de gen. Animal. cap. 3. afferere videtur , ubi inter alia ita : *In est in semine omnium, quod facit ut fœcunda sint semina, vid. quod calidum vocatur, idq; non ignis aut talis aliqua facultas est, sed Spiritus, qui in semine, spumosoq; continetur corpore, & Natura, qua in eo Spiritu est, proportione respondens Elemento Stellarum.* En ex sententia Philosophi, aliud quid & diversum ab Elementis, quodque magis Divinum est, quam ea, quæ Elementa dicuntur, corporibus inesse. Idem Magnus asserit Scaliger. Exercit. 307. s. 20. ubi, refutans illos, qui animam à quatuor Elementis ortam statuunt, sic ait: *Omnis forma, cuiusq; perfectè mixti, etiam si non sit anima, ut in adamante, natura est quinta, longè alia à quatuor Elementis.* Et Exercit. 218. s. 18. scribit: *ad manifestas omnia deducere qualitates, summa est impudentia, imò solâ Elementorum permissoне fieri non potest, ut magnes trahat ferrum.* Claris,

5.

---

Claris his testimoniis experientia succenturiatur. Corpora enim mixta facultates in se continent, Elementorum vires multum superantes. In venenis id videre est, quorum minima quantitas tantas edit virtutes, ut vel in momento interficiat. Quis nescit præcelentes, herbarum, plantarum, animalium, mineralium, aliorumq; metallorum vires, quas si quis ex Elementis petendas præsumat, is, juxta Alexandrum Aphrodisium, Aristotelis Interpretem doctissimum, pravas solutiones afferet quam plurimas, inutiles & plane improbables. *Objicis*: Si mixtorum vires ipsorum Elementorum virtutes superant, sequitur plus esse in composito, quam in simplici, quod absurdum. *Resps*: id absurdum non esse, siquidem istud plus, non est ab Elementis, sed aliunde. Alias de quolibet simplici seorsim sumto verum est, quod plus non tribuat, quam habeat, sed non de simplicibus omnibus, quæ compositionem ingrediuntur. Si colores plures miscentur, sit quidem color alias, ab omnibus seorsim sumtis simplicibus: sed tamen solum color inde fit, nunquam vero ex coloribus alia diversæ speciei qualitas, sive odor, sive sapor fiet, quoquo modo misceantur. *Instas*: excellentes mixtorum vires à variâ Elementorum mixturâ & temperie esse, quæ alias & novas, tamq; latentis efficaciam producit virtutes, præcipue cum à formâ dirigantur. *Respond*. Elementorum qualitates diriguntur quidem à forma, attamen non ultra vires suas forma agit, atque sic nobiliores mixtorum corporum operationes non à forma Elementorum, sed à peculiari quâdam formâ erunt. Sic caloris est coquere & calefacere in homine, quod autem sanguis & chylus fit, id non formæ caloris, sed aliis, quibus hæc vis inest, adscribendum. Concludo id circò, Elementa ad constitutionem mixtorum non sufficere, sed præter ista, alia, magisque propria rerum naturalium principia necessaria dantur.

### QUÆSTIO III.

*Quanam sint illa magis propinqua rerum naturalium principia?*

**E**lementa ad producenda quævis naturália corpora insufficien-  
tia, & principia nimis communia esse, ac proinde de aliis cir-  
cumspiciendum principiis, quorum formæ ab Elementorum for-  
mis sunt distinctæ & majoris efficaciæ , ostendimus. Quænam  
illa sint Principia magis propinqua, id videndum. Haud est du-  
biu[m] unicuique corpori, à Deo Omnipotente, in primâ statim crea-  
tione peculiarem quandam formam & naturam esse inditam, quæ  
quæ ad hoc usque tempus in aliis ejusdem speciei individuis propa-  
gatur. Variæ quoque rerum corruptiones testantur, corpora non  
statim resolvî in Elementa; nam fumi & vapores ex reb⁹ combustis  
& putrescentibus ascendentis, non mox in Elementa abeunt, sed  
in materiam Crassam, Oleosam, & Liquidam, ipsissima principia  
propria. Ab horum enim forma est, quod corporibus mixtis variæ  
insint affectiones, ut cōfōrtes, odores, sapores & alia, non ab Ele-  
mentis, cùm ea ut ut etiam misceantur, qualitates hasce educere  
non possint. Ipsa etiam Resolutio corporum hæc Principia pro-  
dit, ut hinc commune illud Physicorum argumentum, pro ele-  
mentis aliâs allatum, non ineptè ad probationem dictorum prin-  
cipiorum applicari possit.

*In qua resolvuntur corpora naturalia, ex his constant quoq;*z*.*

*At qui in tria ista principia resolvuntur.*

Ergò:

*Ex hisce constant.*

Minorem Experientia probat, ac quotidiana corporum resolutio  
hæc tria evincit principia. *Duo contra datam rationem objiciuntur.*  
**I.** Si resolutio est in id, unde est compositum, tunc pullus ex ovo  
compositus, in ovum resolvetur. *Elenchus causa*, non enim quævis  
hic intelligitur resolutio, nec in quodvis, sed in ultima aut his ma-  
gis propinqua principia. **II.** *Contra minorem objicitur*, quod sit  
confusio resolutionis artificialis & naturalis; arte namque hanc  
fieri resolutionem in tria ista sic dicta principia, non naturâ. *Re-  
spond.* quod resolutio ista ope quidem artis fiat, sed resolutio est  
penitus naturalis, cùm forma naturalis per eam producatur, quod  
ab arte fieri nequit; Imò forma talis prout, Artifice de ea nil co-  
gitante, quod verò in artificialibus non fit. Ut taceamus interim pu-  
trefactione, imò naturâ hæc separari principia, uti evincunt urina,  
cineres

cineres, resinæ arbores, nuces, vinum & alia plurima, quæ principia hæc ex se fundunt. Adhuc igitur tria ista, magis propinquaterum naturalium principia manent.

### Ornatissimo

## DN. CHRISTOPHORO MACCIO, RESPONDENTI.

### I.

**F**lorifero veluti formica hoc tempore Veris  
Invehit in Cellas grana reperta suas.  
Ac ut apis varius per flores sedula gaudens,  
Colligit ex istis mella liquat a sibi.  
Tu quoque, sic MACCI vernâ florente juventâ,  
Dumque valent humeri & vivida dextra tua est,  
Delibas Physicæ flores camposque pererrans,  
Dum dare tuis Phœbus ortae vera studes;  
Semina natura quæ sint dum ostendis, & ortus  
Et rerum interitus quæ sit origo doces;  
Abdidit & quicquid tacitis natura latebris,  
Id luci ingenii lumine restitus.  
Macte labore tuo, MACCI, sic præmia digna  
Te mox excipient, nec moriturus bonos.

Commensali suo dilecto

Omnia felicia appræcatur

M. Tobias Hermann,  
S. S. Th. St.,

Heu

## II.

**H**Eu quantum scelus est naturæ lumine abuti,  
 Atq; dies vitæ præterisse silens.  
 Non sic, quos fovit gremio præclara Minerva  
 Pectora quæsis fixit de meliore luto.  
 Quod probat exemplo fœtus feliciter ortus  
 M A C C I , scrutantis quæ sit origo soli.  
 Sydere ceu fausto fuit is productus in oras,  
 Tali nutritior crescat ut ille magis;

Georg-Christophorus Burger /

## III.

**D**ividuum facti sortitur, qui bene caperit :  
 Principiumq; bonum sponè sequetur opus.  
 Succedit labor atq; Tuus, nam Tu abdita rerum  
 Naturæ, illarum principiumq; refers :  
 Princípio invento, Medium optatumq; futurum est,  
 Cedet sic facilis Terminus arg; Tibi.

L. Apposuit

Johan-Sigismundus Majerus,  
 Memmingensis, Ph.St.

F I N I S.